

Ann. I.

Num. I.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium subnotationis annuae, *praesolvendum*, in Italia est Libel. 10;  
ubique extra Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis Commentarii paginis  
ante sponsorem subscriptum Lib. 1.40;  
postea vero Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, VOCIS URBIS administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

## RERUM INDEX

De VOCE URBIS . . . . .	Card. L. M. Parocchi.
VOCIS URBIS ANTESIGNANI . . . . .	v. u.
BIROTA VELOCISSIMA . . . . .	P. C. De Angelis.
ACRAEPIENSIS INSCRIPTIO ET ORATIO NERONIS . . . . .	M. Ricci.
VESPERAE PALATINAE . . . . .	F. Pellegrini.
VARIA. - In memoriam Monaldi Leopoldi comitis . . . . .	H. De Vecchi-Pieralice.
De Paccio nomine . . . . .	I. Cugnoni.
De mense octobri, etc. . . . .	I.
TEMPLUM VESTAE TIBURE . . . . .	Forfex.
ANTHEA ( <i>Eamus ad Ipsum</i> ) . . . . .	I. Cascioli.
SUMMO PONTIFICI LEONI XIII. - Disticha . . . . .	P. Angelini.
ANNALES . . . . .	A. Anzoletti.
ACTA SANCTAE SEDIS . . . . .	Egnatius.
EPISTULARUM COMMERCII . . . . .	Thomas.
AENIGMA. . . . .	A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIVIII

## MONITUM

Qui hoc primum *Vocis Urbis* exemplar libenti animo acceperint ac suo prosequuti fuerint favore, etiam atque etiam eos rogamus, ut una cum nomine et perspicua domicilii indicatione pretium subnotationis quam citissime mittant, ne mora sit ulla in huiusmodi commentario edendo ac dimittendo.

Omnes praesertim Episcopos, qui nobiscum de omnibus quae Romae acturi sint per litteras colloqui poterunt, itemque viros doctos, qui sive latinis rebus operam navant, sive studiis provehendis praesunt, sive adolescentes latinam linguam docent, vehementer obsecramus ut *Vocem Urbis* benigne respiciant, legant, sibique subiectis commendent: ad usum, enim, et latinae linguae commercium comparandum maxima erit omnibus utilitati.

Cuique insuper socio fas erit *soluta oratione* conscribere quae placuerint *Vocis Urbis* edenda paginis, dummodo ab indeole nostri commentarii non abhorreant atque ambitum et incorruptam sermonis integritatem servent.

*Socii omnes figuram (m. 1.10 × 24), quae summo colore ac mira quadam pulcritudine prospectum Urbis illustrat, dono accipient.*

---

FRIDERICUS PUSTET  
Typographus pontificius et S. Rituum Congregationis

RATISBONAE — NEO-EBORACI — CINCINNATI

ROMAE — Piazza Fontana di Trevi, 81-85 — ROMAE

---

Quum III idus decembres, anno M DCCC XCVII, S. Rituum Congregationis decreto quamplurimae factae sint variationes et in rubricis et in breviario et in missali, maxima sedulitate omnes et singulas meas editiones sive breviarii, sive horarum diurnarum, sive missalis tum pro vivis tum pro defunctis, ex integrō renovandas atque ad illud integrum conformandas curavi. Quo factum est ut non solum officium novum et missa S. Antonii M. Zaccariae suo loco inveniatur, indici et kalendario addita, sed etiam omnes rubricae et aliae textus partes, quae vel minimum variationem pertulerint, ex integrō ederentur.

Hae editiones sunt:

- I. Breviarium, in 2 et in 4 vol. in-4.
- II. Breviarium, 4 vol. in-12.
- III. Breviarium, in 2 et 4 vol. in-8.
- IV. Horae Diurnae, in-4 et in-32.

- V. Missale, in folio parvo.
- VI. Missale, in-4, in-8 et in-18.
- VII. Missale pro Defunctis, in folio parvo, et idem in-4.  
Ritualia etiam, Pontificalia, etc. novissima editione conscripta fuerunt.

Notum facio praeterea iam usque a die XVII kal. octobres novam Domum Librariam Romae a me institutam esse, quam SS. D. N. Papa Leo XIII pontificio titulo benigne decoravit. In ea, praeter omnes meas editiones, reperiri poterit copiosissima collectio operum Theologiae, Philosophiae, Iuris canonici, etc. — Catalogi gratis ad petentes mittuntur.

FRIDERICUS PUSTET  
SS. Rituum et S. Sedis typographus.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia ..... Lib. IO  
Ubique extra. Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3

BIS IN MENSE PRODIT

ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## VOX URBIS

**R**OMANUM Commentarium latine scripturos haud poenitet superbum sane titulum posuisse. Quid enim romana Urbe maius aut lingua? Ex hac omnium terrarum arce, ubi divino consilio imperium est constitutum nullis nec Alpium nec Oceani finibus circumscriptum, grandis olim intonuit vox, sive quae iura et leges imponeret, sive quae humanitatem cultumque inferret, unde cursus ad omnem excellentiam barbaris etiam pateret.

Eccui non sunt auditae populi romani laudes, quum magnae in rebus omnibus, tum in re militari maxima? An vero ullam usquam esse oram tam desertam putemus, quo non cum rerum fama romana signa pervaserint? Ac fuit profecto quaedam ad amplitudinem et gloriam et ad maxima quaeque gerenda divinitus adiuncta fortuna: «Conguebat enim», inquit S. Leo Magnus, «ut pervios haberet populos praedicatione generalis, quos unius teneret regimen civitatis». Quibus resonare illa videntur Alighieri poetae:

*Urbs atque imperium, volumus si vera fateri,  
Fundamenta loco sancto sunt iacta parando,  
Quo sedem antiqui Petri successor haberet.*

Itaque vetus illa vox Urbis, sive quae a Curia manaret, consilio omnium amplissimo, quod quasi deorum concessum mortales sunt admirati, sive quae post eversam libertatem imperatoriaie maiestatis esset atque potentiae, tum scilicet quum res maxime florerent, visa est illico conticescere. Silere enim oportuit homines divinis concentibus resonante caelo: *in terra pax hominibus*. Mox novissimi illius verbi extitere praecones, in primisque apostolorum principes, *quorum in omnem terram exiit sonus*. Cuius gratia rumoris quaecumque iniuria temporis aut fortunae in Urbe ceciderant sunt brevi restituta melius, Romaque iterum,

*Facta caput mundo, quidquid non possidet armis  
Religione tenet.*

\*  
Christiane Urbis vocem xx prope saecula reddiderunt, quamvis nullo tempore defuerint homines malis moribus opinionibusque depravati, qui eam hic illic niterentur opprimere.

aemulari vellent *romanos rerum dominos gentemque togatam*, misero quodam fato eo misericordiae devenerunt, ut romani nominis ipsos pudenter.

Haec in eorum consuetudinem non cadunt

qui pene cum lacte nutricis amorem Religionis simul et Urbis susisse videntur. Quorum aures simul vox Urbis percellet, ea statim excipietur sic, ut non alia Roma locuta esse existimetur, quam quae orbis princeps communis acceptione intelligitur. Ea vox veritatem pluribus modis infractam saepe restituet; ea per occasionem monebit, non legiones, non classes, non regum foedera aut civitatum perinde firma esse imperii munimenta, quam iustitiam, religionem, mutuum amorem, honesta consilia, concordiam; ea stimulus admovet, ut, pro suis quisque viribus, praesertim multis litteris multaque doctrina, causam Religionis et humanitatis tueatur.



NGENS nuperrime orbem pene totum desiderium pervasit, doctissimos quosque ad idiomatis unitatem revocandi. Experimentum ad id sumptum in irritum cessit, cum potiusquam unum inter plura loquendi genera eligeretur, antiquitate, diurno usu, vi et ingenita perspicuitate praecellens, novum ad lubitum effectum est, idque sapientia vacuum et elegantia, impervium, barbarum, quod simul ac rerum novarum captatores aggredi cooperunt, litteris exculti homines, consensu unanimi, abiecerunt.

Verum latina lingua, vel aevo nostro doctorum exercitatione probata, iis pollet dotibus, quibus universim, perinde ac generis humani idioma, haud difficile usurpetur. Ea nimirum Virgilium aluit et M. Tullium, Horatium, Catullum, T. Livium et I. Caesarem, Sallustium ac Tacitum, Terentium et Plautum, Phaedrum et Cornelium Nepotem. Terram, imposito iure, edomuit, temperavit aequitate; christiana fide abluta, divinam patefecit sapientiam, sacrisque praefuit operandis. Nec eam humanae philosophiae cultores negligere passi sunt, cum praeter Scholasticos, aevi renascentis principes, quos inter memoro Nicolaum Cusanum atque Copernicum, in deliciis habuere, et post eos clarissima illa metaphysics et historiae naturalis lumina, Leibnitius atque Linneus.

Tempestive proinde ephemeridem in Urbe edendam Viri amplissimi excogitarunt, quae novos ac veteres divinae humanaeque sapientiae thesauros proferens, latinam indueret maiestatem.

Coeptum opus gratulor vehemente, D. O. M. adprecatus, ut late per orbem diffusa, *Vox Urbis*, oborituro iam saeculo, dominicam vocem praecurrat.

Ex Aedibus Vicariatus,  
Romae, idibus octobribus M.DCCC.XCVIII.

LUCIDUS M. Card. PAROCCHI.

Hi Evangelii humanitatem et cultum despiciat, propositaque sibi nulla nisi Curiorum aut Camillorum virtute, quum magnam speciem doctrinae prudentiaeque praeseferrent, visi sunt in summa inanitate versari. Nullam enim consecutati sunt eminentem effigiem antiquae virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Cumque

fixa ad memoriam romanae gloriae sempiternam? Verum illud potissimum ante oculos obviasatur quod catholica Ecclesia, omnia maiestatis haeres, quam linguis et operibus fortuna obtulit, eam interpretet suaeque causam, dens obiecerit rem.

nisi forte velit Ecclesiam, non modo a praetritarum rerum memoria, sed etiam a nostra seingere. Pravum quoque iudicium erit illorum qui putaverint, nobis, vitio malignitatis humanae, vetera semper in laude, praesentia fastidio esse. Neque enim ita sumus recentium incuriosi, ut nos doctrinae cuiusvis incrementa non moveant; quin etiam id ipsum aetati nostrae laudi tribuumus, quod multo acris quam antea excitata studia fuerint, ut incorrupta inquireretur latini sermonis integritas. Verum, quemadmodum in singulis artibusducenda simul ratio est et scientiae et usus, ita etiam latinitate cupimus nos esse non solum perfecte planeque eruditos, sed etiam cotidiano usu limatos. Squalere enim necesse est arma, nisi tractentur; iacere autem arma haec nostra nec ipsorum dignitas sinit nec Ecclesiae ratio aut disciplina.

\*\*

Sed nec praesens humanitas, quae crescit in dies rebus novis cognoscendis, patitur in latinam linguam tamquam in corpus inspici de mortui animantis, studio nullum in usum deducto. Etenim in tanta librorum per orbem colluvie, nisi forte gentium omnium linguas tenere posse arbitremur, loquendi audiendique commercium erit profecto perarduum. Quare multis iampridem visum est oportere homines eruditos eiusdem linguae societate inter se esse coniunctos. Etsi autem alii aliam proponant, facili negotio intelligi potest latini opportunitatem sermonis probari quamplurimis.

*Multa fidem promissa levant:* ita multi fortasse cum Flacco. Nos autem nulla alia de causa spem fovemus ineundae gratiae apud lectors, nisi quod non obscure feramus plenum difficultatis ac laboris negotium nobis esse susceptum. Neque enim illud potissimum latet, maiorum sermonem usurpatibus, quandoquidem ab augustea aetate recedere minime licet, verborum copiam saepissime defuturam. Quia in re non ita bono animo esse iubet Tulliana sententia in libro I de Finib. «latinam linguam non modo non inopem, sed locupletiorem etiam esse quam graecam», uti potius illud Quintiliani vulgatissimum, «aliud esse latine, aliud grammatico loqui». Quamobrem, si quando ignobiles verborum opifices esse cogemur, conabimur tamen ut, in universum spectantibus, ea quae afferemus latine dicta esse videantur. Ceterum, qualiscumque industriae nostrae erit futura virtus, illud certe recreabit, et Urbis et latinitatis studio animos incendisse, quocum utroque vera fides et humanitas arctissimo sunt nexus coniunctae.

r. u.

Nil mortalibus ardum est.

(HOR., Lyric. I, 3).

Iudicium levius sit patientia  
Iniquitateq[ue]cunque est nefas.

(HOR., Lyric. I, 24).

Iniquitateq[ue]cunque est nefas.  
Iniquitateq[ue]cunque est nefas.

(HOR., Lyric. I, 24).

Iniquitateq[ue]cunque est nefas.  
Iniquitateq[ue]cunque est nefas.

(HOR., Lyric. I, sc. 2).

## VOCIS URBIS ANTESIGNANI

**L**ATINO sermone elucubratam ephemeridem vulgamus, non tamen opus inausum atque intentatum inimus. Viros quidem non sane multos, sed ingenio et eruditione praestantes in hac via nos antegressos facem nobis praetulisse libentissime fatemur. Omnium fortasse princeps Carolus Henricus Ulrichs dignus est qui maximis ad posteriorum memoriam laudibus honestetur. Qui cum discrimina et labores aerumnosissimae vitae nunquam animo percuso et abiecto pertulerit; visus est sibi in linguae latinae studio et exercitatione natus esse perfugium, ubi unice conquiesceret. Referre libet quae in hanc rem scripto consignavit in commentario, cui titulus *Curriculum vitae literarium*, quod edidit vir pari nobilitate et humanitate insignis Nicolaus Perschetti, Aquilae ad Aternum.

«Cum anno», inquit, «1866 Prussiani occupavissent patriam meam, conciones habui publicas, quibus adversarium me ostendi eorum invasioni et hostili iugo, et regi Hannoverae fidelem. Quod valde aegre ferens dux Prussianorum propugnaculo prussiano me inclusit. Quamquam in vita actuosa, vulgo practica, nihil fere praestiti, semper literas amavi. Anno 1880 relicta Germania, Neapolim me contuli ibique tres annos commoratus sum. Unde anno 1883 gelidioris aeris causa migravi Aquilam. Cordi meo per totam vitam fuit lingua latina. Perpetuum, ceterum censeo, ut ita dicam, mihi mansit: linguam latinam non esse delendam. Cuius amore et cultu motus anno 1889 hic condidi parvos libellos periodicos latinos quos nominavi *Alaudas*. Atque horum vices quae fuerint, paullo post ita commemorat. «Quae Alaudae a me scriptae non quidem ita multos assequitae sunt lectores, at saltem factae sunt, quod mihi in votis erat, ut hac voce utar, internationales. In fere omnibus civitatibus Europae lectores ex pacto eis exstiterunt (maxime in Britannia et in Russia) etiam in America, in Aegypto (Cairo et Porto Said), in Asia (Madras et Taschkent, Taschkentii non minus 15), unus adeo apud ipsos antipodas Novae Zelandiae oppido Wanganui. Inter lectors ex pacto sunt unus rex (trans alpes), una regina (stirpis latinae), bibliotheca musei britanici Londiniensis, in Finlandia bibliotheca alterius Lycae i. e. Svecici, Helsingforsiensis aliae. Sinit mitti sibi honoris causa *Alaudas* bibliotheca apostolica Vaticana».

Addidit nobis animum tenax viri propositum quo septem continenter annos in hac palaestra desudaverit, non quidem ut fructus ad rem familiarem vel alendam vel ornandam perciperet, cum aetatem pene omnem in maxima egestate transegerit, sed ut linguae latinae studium, quantum sibi licuit, proveheret, eamque summo in pretio habendam esse contenderet. Ceterum post eius obitum potissimum inclinavit, cum eruditissimus quisque, non ignarus *Alaudarum*, illustri eum laude celebrarit. Reliquis praetermissis, uno utar testimonio Iosephi Mengotii, qui memoriam tanti viri hoc honoris titulo tradendam curavit posteritati:

## CAROLO·HENRICO·ULRICHS

FRISIO·PATERA  
VIRO·DESIDERATISSIMO  
INTER·DOCTOS·IN SIGNI  
INTER·SAPIENTES·EGREGIO  
INTER·LITERATOS·POETASQUE·DISERTISSIMO  
OMNIBVS·PRAEDITO·DOTIBVS  
QVIBVS·OPTIMI·CIVES·ORNARI·SOLEN  
AQVILAE·AD·ATERNUM  
PRIDIE·IDVS·IVLIAS  
MDCCXXCV  
AETATIS·SVAE·SEPTVAGESIMO  
VITA·MIGRATO  
ADMIRATORES·AMICI  
SVBSCRIPTORES·LECTORESQUE·EPHEMERIDIS  
CVI·ALAUDAE·NOMEN  
QVAM·AD·SERVANDVM  
ATQVE·TOTO·TERRARVM·ORBE  
LATINVM·SERMONEM·PROPAGANDVM  
ILLE·EXCOGITAVIT·EDIDITQVE  
HOC·MARMOR·SVA·FAMA·CADVCIVS  
AERE·CONIATO  
ERIGENDVM·CVRARVN

Verum huius viri fama Europae fines feliciter praetergressa in Americam peragravit. Eam enim de Carolo Ulrichs *Praeco latinus* Philadelphensis mentionem facit, qua nulla praestantior. Accipe haec, quae leguntur in vol. I, num. 12, mense septembri. «Carolus Ulrichs vir grandaeus, doctus, cuius fama totum mundum illustraverat, quem ex omnibus orbis inhabitati partibus, ob insignem doctrinam, modestiam, fidem et pietatem admiratione sumus et veneratione prosecuti, in regno culto vicinas universitates, centenas scolas superiores habente, in xenodochio oppidano miserrimam oppetiit mortem».

\*\*

Hunc auctorem ea mente attulimus ut alterum non modo antecessorem sed et collegam potissimum commendaremus. Tametsi commendatione nostra non egeat; ipse enim celebritate sua se commendat. Qui multis abhinc annis exortus, adulta iam aetate, confirmatisque viribus in suscepto agone decertans perseverat.

Potest autem sibi merito gratulari, exemplo nos suo ad eandem dimicationem subeundam excitasse. Iam si minus ipsi aequiparabimur eventus assecutione, exhibere in animo est, consilii eiusdem, eiusdemque propositi firmatatem. Adhaeremus enim titulo *Praeconis latini*, quo folia tamquam tessera insignivit, «ad propagandum nimur sermonem latinum nec non ad fovendum literas latinas» (1).

\*\*

Sed latini sermonis, dicet quispiam, quae tandem utilitas? Multa profecto non solum non aspernenda, sed magnopere expetenda. Mitto latinae linguae dignitatem, libertatem, leporem, mitto veterum scriptorum copiam aetatis aureae, quorum lectione mirifice delectamur, et quorum sermo:

Vehemens et liquidis puroque simillimus amni  
Fundit opes Latiumque beat praedictive lingua.

(HOR. Ep. II, 2, v. 120).

(1) Ne longiores simus, nullam mentionem facimus de ephemeride, cui titulus *Zoologicae res*, quam aliquot menses viri praestantissimi in Urbe ediderunt; de *Bibliotheca philologica classica*, quae nunc quoque Berolini, de *Mnemosyne bibliotheca philologica*, quae Lugduni Batavorum quater in anno prodit, aliisque.

intuemur (pag. 4),  
graeco potius qua-

Nec deest, qu  
Saxano dicatam fu  
qui Tibure, alio in  
colebatur.

Templum perp  
circumscriptum cern  
coratum, quam vel  
mus in architecton  
epistilio mutila ins  
probabilius, qui ter

Illud Tiburis an  
admodum pulchro

D  
Una  
Cum  
Sen  
Sen  
Alta  
Parc  
En p  
Bella  
I, C  
Macta

villae facundi Manlii  
inspiciantur

..... domus All  
Et praecips Auto,  
Mobilibus pomaria

Sive iuxta Statium

Illis ipse antris At  
Nocte sub arcana g  
Huc illuc fragili P  
Aut ingens in stag  
Frangit aquas: illa

Pergratam equidem  
tarum versibus ac scrip  
haec viserit loca, quib  
modum coelestis horti

Ludo et ioco uti quid  
tibus ceteris, tum cum grat

Num vetari possumus quo minus hoc unum expendamus? Optimum quidem esset, quod fuit et est in optatis omnium hominum sapientum, si id contingenter aliquando, ut omnes omnino universi orbis nationes uno eodemque sermone uterentur, quo omne id quod toti humanae societati beneverteret, omnibus, nulla interpretationis ope, compertum foret et pene vulgare. Atqui hoc in communi locutione principatus nisi latinitati detur, nulli unquam dabitur alteri. Cuncti enim homines, cuiuscumque deum nationis sint, ita proprium sermonem diligunt ut censeant non solum esse optimum, sed omnibus aliis esse praferendum; neque ab hoc iudicio recedunt unquam, nec patientur hoc suo iure a quopiam fraudari, ac de loco principe dimoveri. Quidquid enim nativum est, nequimus non arctissime et vehementissime adamare. Iam huiusmodi dilectione caret lingua latina, quae publici iuris est, nec potest quis ut suam sibi vindicare. Video tamen exceptionem non defutaram obiciunt linguam latinam propriam esse romanae Ecclesiae, id quod maxime prohibet ne sermonis latini usus universae societati communis sit. Qui enim Ecclesiae invident eique acerrime reluctentur, nulla aetate defuerunt, atque hac potissimum nostra et plurimi sunt, et adversarii quam qui maxime. Fato haec esse verissima, nec tamen illud a veritate arbitror abhorre: praeter linguam latinam, nullam esse aliam veterem, nec futuram noviter inventam, quae omnibus praesto sit ut mutua sermonis et societas et communicatio nationes inter amico foedere contrahatur. Ceterum haec a nobis obiter dicta esse existimentur. Non enim ita nos decipimus, nec tam arrogantes esse volumus ut putemus ephemeride hac nostra id posse nos assequi, quod impedimentis undequaque salebrosissimis irretitur.

Aliae sunt caussae, quae nos movent ut opus hoc tractemus, quod speramus non futurum

*Periculose plenum opus aleae.*

(Hor., Od. II, 1.)

\*\*

Movit nos primum aliorum exemplum et potissimum *Praeconis latini philadelphiensis*, qui ex America in Europam felicissime enavigavit, atque adeo erexit in spem nos etiam et in Italia et in ceteris Europae partibus et apud ceteras gentes transvectos non inhumaniter exceptum iri. Visum est etiam oppido conveniens ut huiusmodi experimenta urbe Roma prodirent, in qua veluti in suo domicilio et floruit et florescit adhuc germana latinitas. Suasit deinde, multorum praeclarissimorum virorum querela, qui

aegerrime ferunt studium latinae linguae in adolescentium animis sensim in dies elangescere, et operam omnem et cogitationem ad illud redintegrandum impendunt. Id tandem consequi vehementer cupimus quod egregie animadvertisit Iosephus Tuccimei, rerum naturae scientia et multarum doctrinarum cognitione clarissimus, latinam linguam esse restaurandam, sibique auguratur fore ut, qui eruditione praestant atque opes suas assiduo studio conquisitas divulgant, non quique suum sed perspectum doctis, om-

### ACRAEPIENSIS INSCRIPTIO ET ORATIO NERONIS

**M**AURITIUS Holleaux gallus in Lugdunensi studiorum universitate doctor antiquitatibus rerum graecarum tradendis, cum supremi in Gallia studiorum antistitis iussu querendis lapidibus literatis effoderet in Boeotia, forte accidit ut sub exitum anni 1888 in oppido cui nomen Karditza, prope vasteissimam urbem Acraephiam, in aede sacra Georgio martyri marmor detegeret cum litteris incisis, quod licet muro connexum et maiores partem muri anteridio quodam obductum, emissios tamen oculos docti viri non effugit, qui versibus extremis non sine labore lectis subito maximi ponderis oblatum sibi intellexit esse monumentum. Templum enim illud probe neverat fere totum ex redivivis lapidibus structum idque complecti spatium quod olim ad antiquissimum Bacchi fanum pertineret. Saxis autem aliquot ingentibus, quae maxime obstante quominus litterae calce oblita legerentur ex anteridio sublatis, opere supra quam cuique credibile est incommodo triduo absoluto, nuncium inventi dedit vulgandum diariis. Cum ego mensem iam moratus Athenis vesperi quodam, ut moris erat, deambulatum ire, inaudi vi repente vias et plateas clamoribus resonare diaria volitantia vendentium puerorum, qui vocis intensione diversa illud idem centies iterabant: « ο λόγος τοῦ Νέρωνος, ο λόγος τοῦ Νέρωνος ». Quid esset miratus, empto diario, statim comperi non facta ut mercem extruderent, non mendacia pueros tanto cum strepitu clamitavisse per vias, sed ipsam revera Neronis orationem enumdari, quam omnes pene dicam veteres rerum eius aetatis scriptores ad Graecos habuisse ferunt imperatorem illum, quem tota fere Graecia obeuntem certamina exceperant effusissime, quamque eandem obiter indicare memineram ipsum Svetonium. Hic enim Neronis in Acaiam iter, eiusque gesta et ludicas victorias persecutus, provinciamque universam libertate, iudicesque certaminum pecunia grandi et civitate romana donavisse

testatus, haec, ait, beneficia e medio stadio Isthmiuum die, sua ipsum voce pronunciavisse.

\*\*

Rei novitate percusus inventi nuncium misi Romanum, et Petrum Angelinum latinis litteris tradendis doctorem, quocum a condiscipulatu et vitae consuetudine et studiorum societate vivo coniunctissime, certiorem feci per litteras, quas hic mihi liceat integras transcribere.

« Paucis abhinc diebus, quod evenisse legimus adolescentem Svetonio, excitatum hic ab inferis putavi Neronem, non qui humani generis excidium afferret, sed qui se proderet Graecorum amantissimum, eosque ediceret libertate donatos et solutos omni onere publico. Quid hi nostri Atheniensis gravissimis onerari vectigalibus?... Quo animo revocatum ab Achonente opperiri Nero? quibus laetitiae vocibus excipere pollicitum est quae maxime cupiant largi-

### BIROTA VELOCISSIMA

(LA BICICLETTA).

*Aspice; binarum sunt haec portenta rotarum;  
Stat mea, qua impellor, vis in utroque pede.  
Insilio sellam; vix dura manubria movi,  
Sub pedibus tellus aufugit; ecce volo.  
Si mihi tunc mulier, simplex aut forte puella  
Occurset, costas illico fracta cadet.  
Non populo aut plebi facta est haec semita; nostram  
Heroes totam currimus impavidi.  
Currimus impavidi, fera gens; iuvenumque senumque  
Nos iuvat in media rumpere colla via.  
Non cornu canimus, sed tintinnabula raro  
Pulsantur: damnum displaceat? ipse cave.  
Ac nemo e multis ne tum custodibus Urbis  
Scribat quem numerum sella homicida gerit,  
Vix rupto capite, illiso vel civis euntis  
Naso, praecipites tollimur ex oculis.  
Sistere sic nemo nos coram iudice cogat,  
Sic impuniti cras repetemus iter.  
Sic nos ridemus leges, ipsumque tribunal,  
Sic vespillonum turba frequenter ovat.*

*O magni! o fortis! iterum salvete iterumque,  
Ac natibus vestris sit pia semper humus!*

MAURUS RICCI.

nibus latinum sermonem usurpent et scientiarum incremento prospiciant (1).

Hisce rationibus adducti manum operi admovimus, remque gerere, quam minimum indecorum facere possumus, in voluntate est.

*Si quod volumus eveniet, gaudebitus:  
Sin secus, patiemur aequis animis.*

(Pl., Cas. 2, 6, 24.)

P. CAESAR DE ANGELIS.

(1) Vide, sis, eius libellum, qui inscribitur: *La lingua scientifica internazionale, o Restauriamo il latino. Roma, 1892.*

*Maxima debetur puer reverentia; si quid  
Turpe paras, ne tu pueri contempseris angos.*

(Iuv., Sat. XIV, 47.)

turum? Rides?... Nolim videri velle te ludere: ex urbe enim Galliarum principe x. kal. novembr. numerum Athenas allatum, Gallum hominem doctrinam praestantem id effecisse ut memoria ac desiderium Neronis hic revivisceret. Nuper enim vera huius imperatoris oratio ad veteres habita Graecos, his nostris Atheniensibus acceptissima, millenis hic diariorum exemplaribus edita disseminari in vulgus, lectitari passim, summis efferri laudibus. Tu vero si quantum praesteriter eloquentia Nero iam non poteras coniicere neque ex iis quae apud Tacitum, neque ex iis quae apud Svetonium aliosque veteres scripta legimus, utere modo acri iudicio tuo, virgulam cape censoriam, ut quam mittimus latine redditam Neronis orationem notes, quanti valeat iudices, dicas denique num qui cupidissimus fuisse fertur litterarum et artium idem orator fuerit certe probabilis. Tota abnormi vita multa in eo fuerunt omnino singularia et nova: multa illi cum Graecis communia, vel potius, eius inspectis moribus ingenioque, latuisse in ipso videtur graeca magis natura quam romana. Quae enim Cornelius monet romanis moribus abesse a principis persona, haec eadem testatur Tacitus vehementer illi in deliciis fuisse, caelare, pingere, cantus, aut regimen equorum exercere, carmina pangere. Undecim annos natus, praeceptis etiam eloquentiae institutus est a Seneca, doctore illius aetatis nobilissimo, qui, ut ait Svetonius, discipulum a cognitione veterum oratorum avertit, quo diutius in admiratione sui detinere, quique puerum otio graeco indulgentem perditissime more graeco docuit. Hac autem institutione fructus qui fuerint compertum omnibus est: artifex sibi et assentatoribus, maxime graecis, visus eximius: insano quodam furore agitatus poeticam attigit poeta mediocris, eloquentiae studium puer arripuit nullus orator. Primum enim, ut verba Taciti usurpem, ex iis, qui rerum essent potiti, seniores Romae adnotabant, alienae egisse facundiae Neronem: regesque huius aetatis neroniana vides sequi vestigia, aliena eloquentia pro concione viros alloquentes a populo delectos, qui leges iubeant et vesticalia decernant. Utinam aliquando et principis imitentur exemplum, qui unus vesticarium pondere afflictissimos cives erexit immunitate! Sed haec prætereamus, ne videamur seria loqui. Quas igitur ferunt habitas ab illo imperatore orationes manu Senecae præceptoris exaratas vel manifesto affirmant, vel obiter innuunt, qui neroniana gesta veteres persecuntur. Quid ergo? ineptus omnino rabula Nero dicendus? Nullis ipse naturae præsidiis ad dicendum accesserit: facile tamen credas eius illam orationem fuisse, qua dehortatur Senecam petentem ut quietem seni permitat, eiusque bona recipiat; haec enim oratio, quam qui refert, Tacitus, ornat arte sua, definiri comode potest verbosa principis grati animi simulatio: itemque alteram, quam nuper e tenetoris erutam nolim arbitrare præclarum aliquid esse, licet nocturnis diur-

nisque manibus doctorum hominum versetur. Utroque enim brevis est, sententiisque ita communibus reserta, ut centies eisdem videatur usus in re simili. Utraque constat officiosissimis verbis, quae millies auctoribus aulici vel artis imperitissimi certas loquendi formulas rationesque ediscentes, quibus pro re nata facillime utantur. Praeterea si natura defuit ad dicendum, abundare oportuit doctrina, ipsomet fatente se tamquam munus acceptum a Seneca id habuisse, quod et meditatae, et subitae orationi posset occurovere. Manum eius denique et signum videoe cum hic animadverteris luce clarius palam fieri studium vehemens et acre quo rapitur tota vita se efferendi supra Deos nedum supra ceteros mortales; quod quidem aperte prodit odium, quo prosequitur aemulos. Vide quibus se studeat cumulare laudibus: voluntatem suam munificam quanti faciat nullo cum principe comparandam: quo in pretio apud ipsum sint Graeci considera quos perpetuo dicat fuisse viles

Parvi pendatur itaque acraephiensis inscriptio et oratio Neronis, artem dicendi si spectes: at quanti facias oportet litteratum illud saxum quod eius imperatoris aetati aequale fuisse vides? Unicum fortasse illius temporis vestigium, inter tantas oppidorum et urbium ruinas ad nos usque pervenisse? At historiam si spectes quam multa nos docet! quo anno, qua die, quo loco in libertatem Graecia vindicata fuerit, quod non bene veteres, titulus hic optime ostendit: cuius generis immunitas haec fuerit, re diu quae sit et disputata, acraephiensis inscriptio declarat fuisse perfectam, ut ab anno 67 post Chr. nat. ad Vespasiani tempora ea fuerit conditione Graecia qua fruebatur Italia. Damnatione nominis, Nerone mortuo, Senatus auctoritate decreta, tyranni memoria obliuione delenda erat sempiterna. Quare e monumentis omnibus publice factis ablatum appetit ex industria nomine, quod hic fortuito bis legitur intactum. Lapicidae denique vitia, quae hic occurunt, utilia nobis ma-

gnopere sunt, ut quae nam eo tempore apud Graecos fuerit litterarum pronunciandi ratio innocentescat, num quod vocant *iotacismi* vitium tum invulnerit: cum enim in incidentis litteris in errorem facile inducat ea, qua perperam utuntur lapicidae, pronunciandi ratio, legentibus titulum hic noster lapicida videtur *iotacismi* vitio laborasse. Hac tamen de re fusius alias si videbitur. Nunc vertenda acraephiensis inscriptio, et in primis notandum tribus eam contineri partibus edicto, oratione, decreto.

\*\*


## IMPERATORIS EDICTUM.

Cum nobis in animo sit pro sua erga nos volun-

tate meritam referre gratiam Graeciae omnium gentium nobilissimae, edicimus ut quotquot hanc incolumt provinciam frequentissimi adint Corinthi iv. kal. decembres.

## IMPERATORIS ORATIO.

Cum populus præstituta die frequens convenisset, haec imperator pro concione locutus: « Insperatum vobis, Graeci, donum, quamvis nihil sit quod ab nostra benignitate sperari non possit, gratificantes tribuimus quantum ne vos quidem ipsi ausi fuistis postulare. Omnes qui Acaiam incolitis eamque regionem, quam adhuc Peloponnesum appellant, Graeci, per Nos aucti estote omnium rerum immunitate, eaque fruamini libertate, qua nunquam estis usi ne optimis quidem reipublicae vestrae temporibus, quippe vel sub alieno vel sub domestico semper dominatu servi fuistis. Atque utinam, florente maxime Graecia, in potestate nostra fuisse augere vos tanto munere: multo enim plures gratificationis huius nostrae participes habuissimus. Quare tempori maledicendum, cuius vi et iniuria iam muneris huius imminuta sit amplitudo. Hac itaque die nulla miseratione at summa benevolentia trahimur ut erga vos benefici simus, agimusque grates Diis vestris maximas, quorum tutelam semper experti sumus terra marique, quod Ipsi



Templum Vestae Tibure.

vel sub alieno vel sub domestico domino servos. Mendacissima reputes verba, quae singularem erga Deos Graeciae sospitatores illius pietatem redolent, a quo accepimus Deos omnes fuisse neglectos. Quid plura? Haec aliaque nonne satis indicant scribentis mentem et animum? Tibi modo curae sit neronianum hoc opus accurate perpendere: meae vero sunt partes postulare veniam si barbare verti non pro maiestate dicentis. Scias tamen omnes in eo me contulisse vires ut tibi probarer. Tu Romae cum sis et latine doceas ne putes futurum ut Athenis latine scripta ad te proficiscantur ipso te digna. Valetudinem tuam etiam atque etiam cura: hoc enim mihi gratius facere potes nihil. Vale ».

\*\*

Haec ad amicum: quid nunc exacto decennio ad eos, quorum interest audire *Vocem Urbis* editam latine? Maxima capitur utilitas ex vetustissimis titulis qui numero quotidie maiori effodiuntur e terra testes aequalis temporum, et rudera ex aedificio antiquarum aetatum prolapsa collecta, summoque labore quaesita, ut nobis usi sint ad praesentem futurumque humani generis vitae cursum dignoscendum et moderandum. Praesens enim vita non integra est, sed caeca procedit si prorsus ab aetatibus secernatur antiquis.

nobis occasiones liberales in vos uni alterive civitatis contigit Neroni tem vindicaret »

Epaminonda petuns domus a Augusti ita cens minus, Imperator pater patriae, so verit velle se Gra Ipse grates referat quorum sub tute perator excelsus, riam Graecorum dederit libertatem digenam, olim Cnum decus restitutus essemus efficerit, rato cumulum ad quam nemo Imp perfectam, placet pulo, primum Ara consecrari in ea que inscribi « Neroni lovi liberatori in aeternum », atque in Aede Apollinis Ptoi proprie imagines, quae patrios Deos nostros referunt, ponit statuas Neroni lovi Liberatori, Deaeque Augustae, ut hoc obsequii testimonio et civitas nos erga dominum Aug deinde placere decicisum alterum in alterum in Aede Ap

oooooooooooooo  
VESPE

## DE NOVARUM

R OMAE quum veterum mque assidue requi dulce est ruinas

Inest illis qua ad eas quasi qua et cor et animus tionesque movest standi potestas, plubet, nam frequ manus curiosa s videre et exclamare est, quippe quia

Et iure quide studiorum causa,

Mihi vero no num rerumque c simul cum recor

nobis occasionem dederint opportunam, qua maxime liberales in vos praestaremur. Alios enim principes uni alterive civitati libertatem donavisse scimus: soli contigit Neroni ut integrum provinciam in libertatem vindicaret ».

## EPAMINONDÆ DECRETUM.

Epaminonda Epaminondæ filius Sacerdos perpetuus domus augustanae et Neronis Claudi Caesaris Augusti ita censuit: Quum Nero orbis terrarum dominus, Imperator maximus, tribunica potestate XIII, pater patriæ, sol novus qui splenduit Graecis, decreverit velle se Graecis beneficentissimum esse, cum Ipse grates referat obsequiumque praestet Diis nostris, quorum sub tutela dicat se semper fuisse, cum Imperator excelsus, unus omnium post hominum memoriam Graecorum amator, Iuppiter Liberator, nobis dederit libertatem non aliunde advectam, sed hic indigenam, olim Graecis erexit: cum nos in pristinum decus restituerit, atque ut nostri iuris plenissime essemus efficerit, quum tanto beneficio tam insperato cumulum addiderit omnium rerum immunitatem, quam nemo Imperator nobis ante Illum donaverat perfectam, placere Magistratibus, Adscensoribus, Populo, primum Aram Iovis Servatoris Arae proximam consecrari in ea que inscribi « Neroni Iovi liberatori in aeternum », atque in Aede Apollinis Ptoi prope imagines, quae patris Deos nostros referunt, ponit statuas Neroni Iovi Liberatori, Deaque Augustae, ut hoc obsequii testimonio et civitas nostra suae pietatis sensus ostendat erga dominum Augustum Neronem, eiusque domum: deinde placere decreti huius exemplar marmore incisum alterum in foro ad Aram Iovis Liberatori, alterum in Aede Apollinis Ptoi adservandum collocari.

FERDINANDUS PELLEGRINI.

VESPERAE PALATINAE  
SEU  
DE NOVARUM APPELLATIONE RERUM

## I.

**R**OMAE quum degam, quotquot in urbe sunt, veterum monumenta temporum, virorumque assidue requiro, ac mihi solitario et silentio dulce est ruinas inter multiplices commorari.

Inest illis quasi quidam ineffabilis halitus, et ad eas quasi quaedam aura circumvolat, quibus et cor et animus ad insuetos affectus, cogitationesque moventur. Rara tamen invisendi et standi potestas, prout in solitudine et silentio lubet, nam frequens saepe circuit ac perstrept manus curiosa scruntium, quorum nonnullis videre et exclamare ac inter suos disserere sat est, quippe quia de moestis cogitare non curant.

Et iure quidem; non omnes enim ad nostra studiorum causa, sed delectationis causa venerunt.

Mihi vero non sic; multa enim circa hominem rerumque casus moerenti subeunt animo simul cum recordatione praeteritorum tempo-


rum, quibus populus late rex, terra marique dominatus virtute et patientia, consilio quaeque regebat.

Et monumenta et imperium æterna saeculorum ala detravit, sed leges et sapientiam protegere non potuit, neque facem illam extinguebat quae in Capitolio semel erecta et mox in Vaticanum translata ad maternos Romae amplexus humanum genus accivit.

Quid Caesar, quid Scipio acturi essent si, novis hisce adinventionibus opem ferentibus, legiones commoverent suas? Quid Virgilius ille, quid Flaccus, quid ipse Tullius ore sonarent nova nostra circumspicientes? Quaenam nova nomina novis hisce inventis imponerent divini ingenii vena redundantes, et uberis flumine sermonis copiosi?

Haec ego, solus insidens super eversae columnæ truncu, in Palatino meditabar septus ruinis Caesareae Domus.

Et ecce divellor a cogitationibus meis, non sponte quidem, accidente ad me viro quodam candida toga induito, veneranda senectute specta-



Urbis prospectus e Ianiculo.

bili, promissa barba, imperatoria forma ac dignitate vultus et incessus verendo.

Monachum putavi, qui vanitatem rerum humana, fragilemque fortunam propius consideratur eo veniret, ubi et vanitatis, et fragilitatis humanae potentiae maxima præ oculis argumenta passim habentur.

Sapiens, qui, vana ista et brevi praeterlambentia iudicans, ad ea, quae sempiterna sint, mentem advertit!

Sapienti dare locum, proximum retinere, si fas esset, cum eo de quibus vellet, sive circa essent, sive longius, sive recentia, sive antiqua, colloqui, optimum mihi fore duxi, et oculis, et frontis urbanitate, et gestu magis quam verbo, invitavi ut dexter mihi sederet.

Suavitas quaedam ingenii in ipso venientis ore eminebat, nec diversi a facie mores et indoles. Quippe neque aspernatus est me, neque restitit anceps, sed bonus et comis assedit, mulcensque sinistra profusam, inferius quam ad pectus, nivalalem illam barbam (hoc illi saepius in more esse animadvertis), sic fari latine cepit:

— Gratiae tibi sint a me, uti sunt, ac sentio, (Ad proximum numerum).

HYACINTHUS DE VECCHI-PIERALICE.

Interea pleno quum turget sacculum ore,  
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

(Iuv., Sat. XIV, 28.)

## VARIA

## In memoriam Monaldi Leopardi comitis.

III kal. iulii vertentis anni, ē a die natali per celebris poetae Iacobi Leopardi, Iacobus alter nepos imaginem aeneam atavi Monaldi in bibliotheca domestica hoc titulo dedicavit:

MONALDI • LEOPARDI • COMITIS • BENEMERENTISSIMI IMAGINEM • AERE • CAELATAM • A • C • AB • ORTU • IMMORTALIS • FILII • EIUS • IACOBI • QUEM • IPSE • EXEMPLIO • ET • INGENTI • OMNIGENUM • LIBRORUM • COPIA • DOMI • CONQUISITA • AD • BONARUM • ARTIUM • STUDIA • INFLAMMAVIT ADIUVIT • IACOBUS • NEPOS • DEDICAVIT • III • KAL • IUL • A • MDCCXXVIII

I. CUGNONI.



## De Paccio nomine.

Guidoni monacho Camaldulensi.

Petis a me, Guide, ut de Paccio nomine aliquid dicam. Libenter faciam, brevissimis verbis. *Paccius* (πακκιος) frequenter et *Pactius*, sed in marmoribus *Paccium* nomen et *Paccianum* derivativum legitur. *Paccius Ovius* sacerdos apud Samnites (Liv. X, 58).

*Paccius* et *Vibius* duo fratres longe nobilissimi, Urbem adierunt veniam a Romanis exposendi causa, uti apud Livium legimus, XXII, 15. Nomen cuiusdam *Paccii* M. qui nihil habuit antiquus, nil iucundius quam dulcissima uti Attici familiaritate, a M. Tullio memoratur, ad Att. 16. *Paccius* africanus a Senatu expulsus post mortem Vitellii an. 70 habetur in hist. Tacit. 41. *Paccius* tandem Antiochus rerum physicarum peritis simus, Philonidis pupillus, in Urbe commorasse habetur. Ingente pecuniae vim brevi comparavit ex quadam portentoso medicamento, cuius compositionis vel mixiturae secretum vivens nemini patefecit; ast morti proximus, supremis tabulis Tiberio imperatori tradidit, ad mortalium solatium. Galen. in opere cui titulus est *de compositione medicam.*; Scrib. Larg. *de medicamentis*, Marcell. Emp. pariter in opere *de medicamentis* de *Paccio Antiocho* saepe verba faciunt.

## De mense octobri.

*Vox Urbis* per mensem oritur, qui omni tempore et fere apud omnes gentes communis consensu inter iucundissimos anni habitus est. Pulcherrimum autumni spectaculum iste praebet, atque tempestatis suavitatis ad negotia deponenda otiumque in suburbano requirendum induxit, ubi vineae pomariaque plura fieri coepérunt. Sed Romani praesertim eum peramarunt. Marti, rei Romanae parenti voverunt, cui idibus octobribus equum in Campo Martio solemnī pompa mactabant; quatuor vero diebus post in eius templo hostias ad tibicinem immolabant milites armis instructi; ideoque dies ille armili-

strium appellatus: XIII autem ante kal. novembr., quippe Romanorum armis Aegypti subiectionem memorabat, peculiari Aegyptiaci nomine est cohonestatus atque in fastorum numerum relatus, non secus ac IV idus eiusdem octobris, in quem *Augustalia* incidebant, a Senatu instituta, amplissimis honoribus prosequendi causa Asiae, Graeciae, Siciliae Parthorumque victorem. Neque tamen hae tantum feriae per mensem istum ductae sunt: adde *Fontinalia*, quae a medicando nomen habuere.



#### *Fontinalia, Medica Romanorum.*

Causa me latet, qua *Fontinalia* in templo quadam prope Capenam portam atque in viciniis agitata sint, ubi fontes puteique satis frequentes vario florum ac laureae ornato consergebantur, et ad mensem octobrem in more posita fuerint: tripudiane haec, quae aquae dici possint, *Medicis* opponebantur? In istis enim recentis vini solemnia, quod vetusto mixtum gustabatur, laeta palinodia, inter Latinas gentes maxime perulgata, aere personante:

*Vetus, novum vinum bibo,  
Novo veteri morbo medor.*

Quot vero exultantium non potuerunt certe quin in iis tripudiis exclamarent, velut homo ille infirma valetudine, cui clinicus in mero remedium constiterat, qui: Hercule! - ait - decem hansi pateras, multoque debilior factus sum!



#### *Sequitur de mense octobri.*

Quamquam huius mensis ad nos usque nomen, quod ex menstruis Romuli spatii est deductum, manavit, Romani ipsi pluries immutarunt (Tiberii eiusque matris in Itonorem *Livium* appellarunt; Comodus imperator *Invictum* dixit; *Faustini* nomen a Senatu iussum ob memoriam Faustae, Antonini - cui Pio cognomen - uxoris), hominum vero nominisque eadem finis fuit. Ab Atheniensibus huic mensi nomen

I]

#### ANTHEA

(Ex fabula H. SENKEWITZ POLONI, *Eamus ad Ipsum*).

**C** Septimus Cinna, patricius romanus, emeritis stipendiis inter legiones, quum esset etiam tum integra aetate, Romiam reversus est otii fruendi causa vitaeque per luxum ac voluptates agendae, quibus, ut tunc erant tempora, circumfluere dicitibus liceret. Ei nulla deorum opinio erat: philosophiam pro nihilo habebat; bonum, virtutem vacua verba putabat, quibus nulla esset subiecta sententia. Cumque id unum sibi proposuisset, curare se molliter et iucundissime vivere, actae ex arbitrio aetatis admirationem iniecit aliquandiu civibus, donec, dissipata re familiari, nihil sibi relictum sensit nisi gaudii lassitudinem rerumque omnium satietatem. Huc accessit animi aegritudo maxima, qualem expertus fuerat antea nunquam. Nam praedives, et, ut iis temporibus, voluptarius, deliciis omnibus disfluxerat ille quidem, gloriae militaris cupiditatem expleverat, depulso periculo gestiens; idem cum suae aetatis philosophis valde coniunctus facile intelligebat, quos intra fines humanae vis mentis contineretur; artem, poesim admiratione et cultu fuerat prosequutus; in quo denique vita consisteret, quid eadem polliceri posset apprime tenebat. Nihilominus in iis omnibus persequendis magnum aliquid neglexisse

inditum est *Pianepsion*, ex sacris Apollinis *Pianepsienibus*, in quibus fabae coquebantur; a Macedonibus *Hyperbereteus* - id est postremus anni -; a Boeotiis *Demetrius*; a Cypriis *Demarchexagion*; ab Aegyptiis *Paopbi*; a Iudeis, Chaldaica voce, *Marchesuan* - est autem iis secundus anni -; a Saxonibus *Sætman*; a Germanis *Veimon* - scilicet *vindemicatorius* -, etc.



#### *Utilia.*

Iis qui ex capite laborant.

Quot causae, tot species quibus capitis valetudo sensu percipitur. Clinicus quidam Londinensis causas eas remediaque opportuna refert: Molesta in frontem compressio, super oculis, vertiginibus fastidioque sociata, ex stomacho gignitur; cibo se parumper abstinerre oportet. Frontis molestia acuta cum febri morbi supervenientis indicium ostendit, optimumque est consilium clinici sententiam requiri. Dolor in fronte persistens, absque vero febri vertiginibusque, argumentum turbationis praebet in viis respirationis; frequentes autem dolores occipitis morbum hepaticum significant, ac deambulando sanabuntur. Molestia acuta, tempora percutiens, inopiam sanguinis; cum alterius tantum ex temporibus, magnam nervositatem demonstrat; quiete ac somno curabitur. Mens nimis defessa causa est cuiusdam ponderis in vertice capitis: laborum remissio, purus aer, conquisitus cibus reficiens. Demum dolores toto capite intervallati ex rheumatismo oriuntur, qui calore devincitur.



#### *Iocosa.*

Cum iamdiu coelestes deessent aquae, atque siccas perduraret, vir illepidus agricolae cuidam:

— Aeterne saluti consule — ait —; nisi enim imber ruat, crebrae in bestiis mortes.

Cui rusticus:

— Summis precibus coelum prosequear, domine, ut vitae saltem tuae parcat.

#### FORFEX.

sibi videbatur, nec quid illud esset diu cogitanti apparebat.

Postquam animus cum re concidit, Alexandriam profectus est proconsul, itinere nusquam cura vacuo usque Brundusium speque cito deiectus, quam conceperat, fore ut novis rebus videndis iungendisque amicitii tandem aliquando posset mente consistere. Frustra etiam tentavit intermissam Urbis consuetudinem revocare, seque ingurgitare in voluptates, quibus animum a molestia avocaret. Denique ad ultimam perductus tristitiam, de erienda sibi lucis usura cogitare coepit; iamque rei certum constituerat modum, quum singularis quedam in somnis obiecta species a diro eum consilio deterruit. Sibi enim visus est cymba amnem traicere et in opposita ripa cernere quasi servae figuram labore fractae ipsum praestolantis; eandem audire, data reverenter salute, dicentem, se ipsius esse moestitiam; processisse, ut obviam occurreret. — Tum primum expavit qui ad nullos casus antea extimuerat, simulque intellexit, si de altera vita cogitare sibi non liceret sine moestitia, hanc etiam post fata comitem futurum.

His pressus angustiis extremum consilium cepit percontandi philosophos, qui in Serapeo versarentur, si quam forte medicinam afferrent; sed qui difficilem extricaret nodum tolerandi ab ipso doloris exstitit nemo.

#### TEMPLUM VESTAE TIBURE

**N**EMINEM latet celeberrimas inter urbes Italiae Tibur exstisse, prope Romam ad orientem, cui nomen inditum a Tiburto argivae iuventutis viro ac fratre Coracis et Catilli.

Haec et Virgilius meminit:

*Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,  
Fratri Tiburti dictam de nomine gentem,  
Catillusque, acerque Corax, argiva iuventus.*

(*Aen.*, I. 7).

Tibur igitur argeo positum colono, et ripae molles, et dulces umbrae, et loci villarumque amoenitas sic ad se virorum excellentium ac poetarum attraxit animos, ut hi nil dulcius exoptarent; et Horatius ipse, qui in agro tiburtino in villa sua rusticabatur prope gelidum rivum *Digentiae*,

*Quem Mandela bibit rugosus frigore pagus,  
(Ep. 18).*

inibi supremum diem obire cupierit, inquiens:

*Sit meae sedes utinam senectae.*

Sed et Virgilius, Ovidius, Martialis, Statius, Silius Italicus aliique poetae ac scriptores delicias tiburtinas concelebrant, cuius mite solum maximi viri incoluere.

Tibur enim nil invidet aut campis opimae Larissae, aut Thessaliae feracibus arvis, aut miris Athenarum monumentis et vallis Canopi.

Qua de re passim monumentorum vestigia, passim celebres villae, ubi Augustus, Maecenas, Quintilius Varus, ubi Brutus, Cassius, Centronius, Rubellius, Plautius, aliique innumeri, armisque togaque insignes, otia captabant.

Tiburtinae vero urbi splendorem maximum adiecit Adrianus imperator, bonarum artium cultor eximius, cum villam suam omnium magnificentissimam, postquam orbem romanum peragrasset, mirifice aedificavit.

Equidem vero inter celebriora Tiburis monumenta adnumerandum est **TEMPLUM VESTAE MATRIS** (vulgo dictum *Sibyllae*), quod hic repraesentatum

Erat eo tempore sapientium facile princeps in civitate Timon Atheniensis, vir nobilis atque, ut habebatur, omni doctrina eruditus institutisque philosophorum abundans. Is, miti ingenio ac peracuto, multis ab annis Alexandriae degebat, mysteriis Aegyptiorum cognoscendis intentus. Quem ut Cinna comperiit longe alium a ceteris esse philosophis, angustis iis atque ieunis, brevi sibi eum arctissimo familiaritatis vinculo adiunxit. Insidebat in animo senis forma quaedam eximia humanae vitae ad praeccepta rationis componendae, eratque doctrina cum dicendi copia et suavitate coniuncta. Quibus de rebus etsi magna esset admiratio adolescentis, stupor tamen longe maior iniiciebatur ore senis ad ingentem tristitiam composito. Itaque saepe in eo fuit ut ex ipso quereret causam moeroris, suumque animum aperebat.

Forte vespere quodam, quum, remotis arbitris, uteque in peristylio constitisset in mare porrecto, apprehensa manu senis, adolescens acerbatis suea virus evomuit, atque: — Hoc — inquit — vitae tedium mihi causa fuit consulendi philosophos. Te fortuna obiecit meae interpretem vitae; qui nisi meipsum mihi revelaveris, spem omnem ademeris, parem huic officio praestando quemquam futurum.

(*Ad proximum numerum*).

PETRUS ANGELINI.

Num veteri possit expendamus? Optime fuit et est in optatis tium, si id contingere nino universi orbis sermone uterentur, quae manae societati bene interpretationis ope, vulgare. Atqui hoc in patu nisi latinitati datur alteri. Cuncti enim humanum nationis sint, sermonem diligunt ut solum esse optimum, aliis esse praferendum iudicio recedent unius tantum hoc suo iure ad dari, ac de loco principi. Quidquid enim nativus mus non arctissime et simile adamare. Iam h lectione caret lingua publici juris est, nec suam sibi vindicare. exceptionem non de cipientium linguam latit esse romanae Ecclesie maxime prohibet ne usus universae societatis fit. Qui enim Ecclesia eique acerrime reludet aetate defuerunt, atque simum nostra et plus adversarii quam qui teor haec esse verissimum illud a veritate arbitrio praeter linguam latinam aliam veterem, nec futuram inventam, quae omnibus ut mutua sermonis et communicatio nationes foedere contrahatur. Con nobis obiter dicta esse Non enim ita nos tam arrogantes esse voluntem ephemericide hac se nos assequi, quod undeque salebrosissimum. Aliae sunt causae, hoc tractemus, quod Periculose plures

Movit nos primum tissimum *Praeconis latitum* America in Europam factum aedeo erexit in spem in ceteris Europa partibus transvectos non invenerit. Visum est etiam opere modi experimenta urbium veluti in suo domicilio adhuc germana latinorum praeclarissimorum

intuemur (pag. 4), opus mirae artis et pulchritudinis, graeco potius quam latino artifici tribuendum.

Nec deest, qui iudicet aedem ipsam Herculi Saxano dicatam fuisse (cui tamen non assentior), qui Tibure, alio in celebri fano, maxima religione colebatur.

Templum per pulchris columnis hinc atque hinc circumseptum cernimus atque elegantiori porta decoratum, quam veluti archetypum vir excellentissimus in architectonica arte Bonarrotius habuit. In epistilio mutila inscriptio legitur... L. GELLIO, idem probabilius, qui templum restituit.

Illud Tiburis arces ac moenia supereminet, situ admodum pulchro excitatum, et contra vestigia

## ANNALES

## DE RERUM CIVILium SCRIPTORUM OFFICIO.

**P**ERFACILE est, nostris hisce temporibus, homines invenire, qui de republica saepe et libenter disceptent. Plerique enim autmant rem esse communissimam, et prorsus in omnium ore habendam. Quare et medicamentorum et fabae arabicae potionis tabernaec nec non cauponae et viliora conventicula, a Plauto *desidiabula* nuncupata, redundant sententias, et vaticiniis ex ore manantibus illorum, quibus videtur scientia civilis non transgredi fines rudis intelligentiae. Eorum ratiocinia non valde differunt ab iis, quibus

Perbelle igitur faciunt, qui summa ope nituntur pro veritate et iustitia, atque scriptis vulgatis pro viribus contendunt ut bonum pro malo, pietas pro impietate, abstinentia pro luxuria, liberalitas pro avaritia, benevolentia erga alios pro amore sui ubique florent, atque altissimis radibus amplificantur.

Ista res vel ad officium pertinet eorum scriptorum, qui de scientia civili atque de imperiis regundis administrandisque disserunt ea maturitate et sapientia, quibus indiget negotium tanti momenti.

Verum munus scriptorum huiusmodi, qui tantum ephemeridibus exarandis dant operam, ni fallimur, existimamus absolvendum si facta dictaque prescribant, quae memoria digna videntur, satis habentes

## SUMMO PONTIFICI LEONI XIII

LATINORUM AETATIS SUAE POETARUM FACILE PRINCIPALIA

## DISTICHA

*Dic, age, rursus alit Latium tibi, Musa, poetam?  
Fallor, an ipse Maro pectora nostra tenet?  
Unde melos tam dulce sonat? cantoribus illa  
Non, nisi Virgilio, mollis avena fuit.  
Cum vero rapit hunc Phoebus maiora canentem,  
En numerosa agitans carmina Flaccus adest:  
Seu Mariac plectro gaudet committere laudes,  
Maternumque rogat Virginis auxilium;  
Seu vocat, hostili carum minitante ruina,  
Anxius ad tutum Pastor ovile grecum.  
Alta Dei meditans animo quot concipit hymnos,  
Ore tot illius rorida mella fluunt.  
Parcite Pierides fidibus certare profanis:  
Astitit afflatus coelitus ore Leo!  
En placidam viridi carpens sub fronde quietem,  
Corruere aetas, arma, thronosque videt.  
Bella videt, quas et peperit tibi, Francia, lauros,  
Donec erat patriae consociata Fides.  
I, Clodovae, pede i fausto, quem musa Leonis  
Inserit heroum concilioque Dei!  
Macte nova virtute, decus nostrum, alma Ioanna,  
Felix o tantae carmine digna lyrae!*

*Cum vocat, approparet Superi, mala nostra levantque,  
Ipsaque Mors coeli pandit amica vias.  
Ferte, sed o plenis calathis!, nunc dona Camoenae,  
Lilia punicis fundite septa rosis.  
En bonus ille Pater, tenui modulatus avena  
Quae didicit cultor sedulus Hippocratis,  
Tradere consilia auditur, queis robore vitam  
Florentem possit ducere quisque suam.  
Nonne igitur tibi magna sati laus, alme Sacerdos,  
Hinc animas patriam, te duce, adire domum,  
Quod facis ut valido pueri quoque corpore vivant?  
Nil mirum: Pater es: te patris urget amor.  
Salve, sancte Parens, hominum colestis origo,  
Per quem parta sibi saccula Christus alit!  
Cinge tuas hoc flore comas, veniens quoque in aevum  
Hac, utinam sero!, laude perennis eas.  
Dum saecli perit irrita spes, te diva canente  
Promissa, heu! dum nos vincla scelesta premunt,  
Ipse Duxem puris cognoscere voce dedisti,  
Coelica qui pius ad pascua dicit oves.*

ALOISIA ANZOLETTI.

villae facundi Manlii Vopisci, cum ad eius pedes inspiciantur

..... domus Albuneae resonantis,  
Et praeceps Anio, et Tiburni lucus, et uada  
Mobilibus pomaria rivis.

(Hor., l. I, Od. 7).

Sive iuxta Statium:

Illis ipse antris Anienus, fonte relicto,  
Nocte sub arcana glauco exutus amictus,  
Huc illuc fragili prosternit pectora musco,  
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu  
Frangit aquas: illa recubat Tiburnus in umbra.

Pergratam equidem voluptatem concipit qui, poetarum versibus ac scriptorum narrationibus assuetus, haec viserit loca, quibus natura pulcherrima proponendum coelestis horti tribuit ornamenta.

JOSEPHUS CASCIOLI.

Ludo et ioco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris, tum cum gravibus seriisque rebus satisficerimus.

(Cic., *De Offic.* l. 29).

vaniloqui ventilatores coram turbis obstupefactis dividinatoriam artem suam impudenter iactant.

At scientia civilis, quae ad resplicas regendas et administrandas pertinet, quaeque vicissitudines populorum tangit, est res valde difficilis et acerrimarum mentium tormentum.

Ex multorum levitate ortum est illud genus ephemeridum scriptorum, obbrobrium et scientiae et litterarum, qui loquuntur et obloquuntur de rebus per gravibus prorsus omnis consilii expertes, sesquipedalibus verbis utentes, quibus rudes et inconscii, facile ad assensum rapti, eorum sententiam sequuntur et malum pro bono excipiunt.

Ita fit ut vaniae noxiaeque doctrinae vulgentur, quae animos exagitant vexantque, et impediunt quominus societas hominum attingat finem a Deo praestitutum, nempe felicitatem, mente errorum nescia, serenoque animo comparatam.

Discordiae civiles, caedes, rapinae quae omnia grata permultis sunt, initium capiunt ex consuetudine cum protervis ephemeridibus unde normam et ius nonnulli sumunt prave cogitandi et morem agendi.

si parva, sed apta censura eorundem dictorum vel factorum, potens sit ad mores hominum quodammodo instaurandos.

Opus quod aggredimur, mirifice huiusmodi consilio respondet. Neque doctas disquisitiones, neque interpretationes difficiles et quasi speciosas urgebimus, potius officio fungentes auctorum illorum qui, ordine temporum, facta maiora describunt.

Bis igitur in mense, uti propositum *Vocis Urbis* expostulat, quandam speciem commentarii rei civilis perscribemus, ne qui legunt expertes omnino sint notitiarum quoad vicissitudines, quae maxime sunt piae oculis habendae.

## DE PACE TUENDA.

Atque ut incipiamus, primum locum tenent, hisce extremis temporibus, illae Imperatoris Moscoviae Literae de armis ponendis, deque pace universa humioribus artibus et consiliis procuranda.

Utinam mentes rectorum gentium leves non sint!, et Literae illae, quibus benedicunt populi reformantes tantam copiarum magnitudinem in tam longe

## VOX URBIS

proiecta rei militaris scientia, tam multiplici ad internectionem instrumento, auspicium sint pacis tuendae, cunctis civitatum ordinibus valde assentientibus!

Pacis tamen fundamenta firmiora et coniunctiora naturae non multo ante Leo XIII, quem Deus diutissime sospitet, hortatus est in percelebri Litera Encyclica ad populum italicum, qua effectricem causam et pacis et boni otii testatur esse concordiam in iustitia et maxime in caritate.

Exitus Literarum Imperialium incertus est. Testimonium tamen perhibent animorum bella, iure adversantium, ob magnae molis calamitatem, qua nunquam vacant arma minaciter districta, ad alendas, quam ad tollendas simultates et suspicione aptiora, uti edicebat idem sapientissimus Summus Pontifex in Allocutione, habita decem abhinc annis, die xi februarii MDCCCLXXXIX.

Sunt qui mente agitantes foedus, quod fertur pene initum a Germanis cum Britannis, non optime sperant de felici exitu Literarum Imperialium earundem.

Ad animos consternandos accedit illa Germanorum Imperatoris servidior oratio, in epulo, quod Vestphaliae incolae appararunt mense superiore.

At nos tum urgebimus hanc rem, cum ad extremam rationem devenerint Principes veteris Europae in concilio, quod habendum ferunt.

Pacis studium exhortatur etiam imperia Europae ut id prospiciant, quod mature providendum est in illam perniciem, quae minatur omnia divina atque humana miscere doctrinis et factis immanibus.

Caedes infanda Elisabethae Augustae omnibus bonis moerori fuit. Alien a illa clarissima foemina a re civili, religione et humanitate illustris, a viro suo atque Austriae et Hungariae populis diligebatur. In eius corde cultrum proditorie defixit quidam Lucheni, obbrobrium et dedecus naturae, factioni illi adductus, quae conatum omnem parat in rerumpublicarum exitium.

EGNATIUS.

**ACTA SANCTAE SEDIS**

LITTERAS iussa, decreta, responsa, quae Sedes Apostolica, aut Sacrae Congregationes Romanae dederint, summatim vel quandoque etiam per integrum referemus, eaque, quum res postulet, explanabimus. Quod alterum si fiat, nunquam doctrina nostra confisi, eoque minus ad arbitrium conficiemus, sed auctoritate suffulti magni nominis virorum, et, quum in promptu sit, ipsius Apostolicae Sedis.

Non omnia tamen, quae ex pontificis Congregationibus prodierint, prodenta curabimus: sed ea tantum seligenda, quae omnibus ubique catholicis, aut universo clero, aut saltem nationi alicui scitu necessaria nobis videbuntur: uti sunt, quae legem constituent, explanant, definiant, abrogent; quae viam quaestionibus magni ponderis tractandis persolvendis aperiant; quaeque de sacris ritibus, privilegiis Sodalitatum, indulgentiis ceterisque huiusmodi agant. Quibus omnibus addere satagamus, si qui Cardinales, aut Episcopi creati, aut de Ecclesia optime meriti honoribus aucti fuerint.

Quare Vox Urbis, quae Urbis praecipue sunt, fideliter referet.

Primo nunc, ea tantum damus, quae plures adhuc latere facile est; quamquam a longo tempore lata.

S. R. ET U. INQUISITIONI

Propositae quaestiones:

1<sup>a</sup> An in facultate facta Ordinariis locorum dispensandi, in mortis articulo et quando non sup-

petit tempus adeundi Sanctam Sedem, super impedimentis quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, contenta intelligatur facultas dispensandi super impedimento impediente mixtiae religionis.

Responsum, die 18 martii 1891, negative  
2<sup>a</sup> An super impedimento disparitatis cultus, etiam in articulo mortis, non aliter dispensari possit, nisi sub praescris conditionibus.

Responsum, die 18 martii 1891, cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas.

3<sup>a</sup> An parochus possit ad sepulturam ecclesiastica dare corpus mulieris aut viri catholici, cum infideli vinculo tantum civili coniuncti, quem in mortis articulo invenerit sensibus destitutum.

Responsum, die 8 iulii 1898, dari posse sepulturam ecclesiasticam, si fidelis signa poenitentiae derit, tamen evulgatis resipiscentiae signis, et vetitis ecclesiasticis pompis, et solemnitatibus exequiarum: quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concurrent, adeundum esse Ordinarium, eiusque mandatis obtemperandum.

S. CONGREGATIONIS CONCILII

DECRETUM

SUPER EXCARDINATIONE ET ORDINATIONE CLERICORUM  
datum die 20 iulii 1898.

« 1<sup>o</sup> Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequa sortiri, nisi in cardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

« 2<sup>o</sup> Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis, sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar illius quod Constitutio Speculatorum, pro domicilio acquirendo praescribit (1).

« 3<sup>o</sup> Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimisum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

« 4<sup>o</sup> Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri. Quum tamen nemini sint citius manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oportet eum diutius probari. Et meminerint quod sicut nullus debet ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis ecclesiis - ut in cap. 16. sess. 23 de reform. Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate, aut commoditate dioecesis.

« 5<sup>o</sup> Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis oportere ut Episcopi in iis admittendis cauti et severius procedant, ac nunquam eos recipient, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

« 6<sup>o</sup> Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt, vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. Speculatorum, quae ratae ac firmae semper manere debent ».

THOMAS.

(1) Scilicet: clericum vere et realiter habere animum in dioecesi, cui inscribitur perpetuo manendi.

EPISTULARUM COMMERCII

Cl. EUGENIO L. - Genevam. - Tuas litteras perlittere accepimus. Quae autem scribis de *Voce Urbis*, nobis magnopere probantur; tibique et habemus et plurimas agimus gratias. Vale.

Cl. CAROLO P. - Florentiam. - Opus plenum aleae sine dubio suscepimus. Illud vero, Deo opitulante, amicis litterarumque studiosis faventibus, nos expleturos esse speramus. Tibi omnia auspicatissima precamur. Plura otiosi, ac privatim.

Revmo BENEDICTO F. - Lutetiam Parisiorum. - *Vocem Urbis* tibi vehementer commendamus, eiusque exemplaria istis adolescentibus perlegenda, multaque sociorum nomina ad nos mittenda tibi cordi fore confidimus.

Cl. PETRO S. - Mediolanum. - Libri, quem ad nos misisti, recognitio in proximis habebitur numeris. Gratias plurimas ob amplissimas laudes, quibus *Vocem Urbis* extulisti.

Ampliss. JOSEPHO W. - Berolinum. - Exemplaria *Vocis Urbis* ad quos designasti mittenda curabimus

Rev. FRANCISCO C. - Neapolim. - Nomen et subnotationis pretium accepimus. Gratias, et vale.

Cl. ALOISIO B. - Genuam. - Maxima sumus laetitia affecti quum audivimus, te ex Sicilia in istam celeberrimam urbem pro tuis in studiorum rempublicam meritis, docendi causa transductum fuisse; quem honorem tibi gratulamur. Res tuas in mensem decembre; magnamque ad eas conficiendas adhibebimus curam. De satirae romanae natura scripturus est amicus Lucius Te stare promissis atque valere iubemus.

Ampliss. VINCENTIO L. - Augustam Taurinorum. - Maxime perolentes, quod ex oculis laboras, Deo preces adhibemus ut quam citissime convalescas, bonaque in posterum fruaris valetudine. *Vocem Urbis* interea memento, eique operam sedulam ne te pingeat tribuere.

A SECRETIS.

PRETI  
In Italia...  
Ubique extra

VOX

R OMANUM Comm...  
R haud poenitet possuisse. Quid enim lingua? Ex hac omniu...  
arce, ubi divino con...  
rum est constitutum  
Alpium nec Oceani cumscriptum, grand...  
tonuit vox, sive que...  
leges imponeret, sive...  
manitatem cultumque  
unde cursus ad om...  
lentiam barbaris etia...

Eccui non sunt a...  
puli romani laudes, gnae in rebus omnib...  
re militari maximae ullam usquam esse desertam putemus, quererum fama romana vaserint? Ac fuit prodam ad amplitudinem et ad maxima quaeque divinitus adiuncta fort...  
gruebat enim », inq...  
Magnus, «ut pervios pulos praedicatio gen...  
unius teneret regimen  
Quibus resonare illa Alighieri poetae:  
Urbs atque imperium, volum...  
Fundamenta loco sancto sunt  
Quo sedem antiqui Petri succ...

Itaque vetus illa sive quae a Curia ma...  
silio omnium ampliss...  
quasi deorum consentes sunt admirati, post eversam liberta...  
ratoriae maiestatis e...  
potentiae, tum scilicet maxime florerent, vis...  
conticescere. Silere enim homines divinis concer...  
nante caelo: in terra...  
nibus. Mox novissimi extitere praecones, principes, quorum i...  
sonus. Cuius gratia r...  
temporis aut fortuna brevi restituta melius

Facta caput mundo,  
Religione tenet.

AENIGMA

(VULGO ITALICE SCIARADA)

Pars prior interdum velis ornatur et auro,

Altera pars prisco tempore nummus erat.

Uno iuncta simul verbo pars utraque gentem

Rapto viventem belligeramque notat.

Ex sociis qui huius aenigmatis interpretatio...  
nem ad ephemericis moderatorem miserant intra...  
duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet libell...  
lum, omnibus suis numeris expletum, a societate  
S. Ioannis et S. Augustini typis elegantissime edi-  
tum, cuius est inscriptio:

LEONIS XIII  
IN MARIAM VIRGINEM  
FLOSCLLI

Magnopere legentibus commendamus ephemeri...  
dem, quae, Sac. ROMULO MURRI moderatore,  
inscribitur

LA CULTURA SOCIALE  
POLITICA LETTERARIA

Editur ROMAE bis in mense,

Piazza S. Luigi de' Francesi, 29.

Pretium annum in Italia est Lib. 6 - Alibi, Lib. 8.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

# I. Romanini et Soci

ROMAE  
VIA TOR MILLINA, N. 26-28

PRAEMIIS DECORATUM OPIFICIUM


## Sacrarum Supellectilium textili disciplina fabrefactarum

sive phrygio opere, sive damasceno, sive acu discriminatarum,  
sive auro, sive argento,  
sive sericis intertextarum, item siqua sint ad Eccl. usum

Ibi et Calices, Ostensoria, Pyxides, Lampades, Reliquaria,  
Thuribula, Acerrae,  
ex argento, ex cupro, deauratae, deargentatae.

¶ Suppeditor SS. D. N. Papae ¶

VENALIUM INDEX IMAGINIBUS RERUM DISTINCUS GRATIS DABITUR



Numisma adjudicatum, Cicagi 1893

## EQUES PHILIPPUS VITI MARMORARIUS

ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT  
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

Uti patet ex operibus erectis ac refectis  
in Basilica Lateranensi,  
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.

# BURN & OATES

LONDON W. - 28, Orchard Street, 28 - LONDON W.

Qui opera cardinalium ediderunt Waugham, Manning, Wiseman, Waltherne archiepiscopi, Hedley episcopi, Faber, nec non Patrum Societatis Iesu et Sancti Philippi Neri; qui itemque edunt

### The Catholic Directory

ecclesiasticae in Anglia hierarchiae nuncius,

### The Dublin Review, etc.

nulla impensa, in omnes orbis terrarum regiones libentissime  
mittent Indicem ab ipsis novissime in quatuor partes 84 pa-  
ginarum dispositum, libros catholicos omne genus comple-  
tentem, legentibus utilissimum.

## DOMUS ARALDICA CULLETON AD NOTITIAM AUTHENTICAM STEMMATUM ET AD FAMILIARUM ORIGINES AC PROPAGINES

Insuper ad tabulas Araldicas tum pingendas, tum cedendas

### GENTIS INDICES

Sigilla aurea.  
Annuli obsigniorii.  
Sigilla pro abaco scriptorio.

### INQUISITIONES ARALDICAE

Tesserae indicatoriae pro Libris.  
Tesserae Nunciatoriae.  
Cunei paginares pro Libris  
Rationum, Officiorum, etc. etc.

Ibi etiam quaeque sunt venalia  
quae apud chartarios uecatores

Ornatae appellations in quemvis

Sigilla pro quovis Grammateo - Cunei - Numismata

25, CRANBOURN STREET  
LONDON - ENGLAND

EST ET INDEX RERUM IMAGINES ET PREMIUM OSTENDENS  
DIRIBITORIUM EXPENSARUM IMMUNIS

Numisma adjudicatum, Cicagi 1893

APUD FORZANI ET SOCIMUM, EDITORES  
ROMAE - Via Dogana Vecchia, 26 - ROMAE

## DIVI THOMAE AQUINATIS ORDINIS PRAEDICATORUM DOCTORIS ANGELICI SUMMA THEOLOGICA

AD EMENDATIONES EDITIONES IMPRESSA  
ET ACCURATISSIME RECOGNITA



EDITIO  
A LEONE XIII P. M.  
gloriose regnante  
aureo numismate donata



INDICES nova prorsus methodo et ratione ita sunt digesti, ut  
uno in conspectu tota rerum expositio pateat.

Opus integrum (pag. 5030, in-8) venit L. 15.

# Desclée, Lefebvre & Soc.

SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

PARIGI - LIONE - LILLA - TOURNAI - BRUSSELLE - BRUGES - GAND - MALINES - ANVERSA - TOLOSA

## LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE — Via Santa Chiara, 20-21 — ROMAE

Petitionibus, quae ad nos saepe saepius ab amicis pervenerunt experientiaeque nostrae cedentes, permagnam Officinam Librariam Romae adaperiuimus, cui titulus: LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE, ubi, praeter editiones quae in Officinis nostris cudentur, inveniuntur quoque opera de re theologica, philosophica, liturgica, historica, literaria, etc. quae ex aliis Officini librariis sive italischis sive exteris produnt. Opus utique laboris ac difficultatis plenum; sed cum opportunum valde, ne dicamus necessarium, esset, bonum sortitum est exitum. Ut illum assequemur nulli pepercimus labori, nullis expensis: domicilium in alium locum magis idoneum atque elegantiorem iam transvexit, et quam citius in lucem prodibit Catalogus completus generalis, qui gratis distribueatur.

Enixe adpreciamur auctores quā de re theologica, philosophica, literaria, etc. scripserunt, ut ad nos mittere velint saltem duo exemplaria operum suorum, pretium nobis indicantes, quae apud nos custodientur ut veneant.

Librarii vero et editores velint ad nos mittere Catalogos operum suorum; nobisque curae erit ut longe lateque innotescant.

Desclée, Lefebvre & Soc.

### Éditiones Liturgicae

quae Typis Societatis Desclée, Lefebvre & Soc. in lucem prodeunt, revisae atque approbatae sunt a S. Rituum Congregatione.

#### Missalia.

Missale Romanum, in-fol. (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 40; reli-

atum marocchino rosso, foliis flavi coloris: Lib. 55; inauratis: Lib. 60.

Missale Romanum, in-fol. parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum:

Lib. 30; religatum ut supra: Lib. 42 vel 47.

Missale Romanum, in-4 (30 1/2 × 21 1/2). Solutum: Lib. 20;

relicatum ut supra: Lib. 30 vel 34.

Missale Romanum, in-8 (24 1/2 × 15 1/2). Solutum: Lib. 10;

relicatum ut supra: Lib. 16.50 vel 18.50.

Missale Romanum, in-18 (14 1/2 × 8 1/2). Solutum: Lib. 6;

baxana religatum, foliis rubri coloris: Lib. 8; zigrino, foliis inauratis:

Lib. 10.50.

Missale parvum, in-32 (12 1/2 × 7 1/2), IUXTA MISSALE ROMANUM, IN QUO CONTINENTUR OFFICIA TOTIUS ANNI, TAM DE TEMPORE, QUAM DE SANCTIS, ACCEDUNT NONNULLA IN APPENDICE PRO VESPERIS ET LAUDIBUS VESPERTINIS DISPOSITA. Solutum: Lib. 2.50; tela religatum, foliis rubri coloris: Lib. 3.50; zigrino, foliis inauratis: Lib. 5.

Missae pro Defunctis, in-fol. (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 3.50;

tela religatum: Lib. 7.

Missae pro Defunctis, in-fol. parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum:

Lib. 2.75; tela religatum: Lib. 6.

Epistolae et Evangelia, in-fol. magno (40 × 27 1/2). Solutum:

Lib. 15; ligature ad libitum.

Canon Missae ad usum Episcoporum ac Praelatorum solemniter vel private celebrantium, in-folio magno (43 × 29 1/2). Solutum: Lib. 25; ligature ad libitum.

Missae Solemniorum festorum e Missali Romano excerp-

tae ad usum Episcoporum ac Praelatorum solemniter

celebrantium, in-fol. magno (40 × 27 1/2). Solutum: Lib. 15;

ligature ad libitum.

Missale Monasticum, in-fol. parvo (34 1/2 × 23 1/2). Solutum:

Lib. 30.

Missale ad usum FF. Praedicatorum, in-folio parvo

(34 1/2 × 23 1/2). Solutum: Lib. 40.

#### Breviaria.

Breviarium Romanum, 2 vol. in-4 (28 × 19 1/2). Editio chro-

malis, permagnis characteribus impressa. Solutum: Lib. 48; religatum:

Lib. 54; zigrino, foliis inauratis: Lib. 64.

N.B. — Omnes predictae editiones novissimas additiones atque emendationes continent; charactere rubro nigroque impressae sunt; pluribus sacris figuris aliisque ornamenti, necnon cantu ecclesiastico ornatae sunt.

Plura etiam adsunt SUPPLEMENTA pro diversis locis vel Congregationibus religiosis.

Catalogus omnium nostrarum editionum liturgicarum cum speciminiis et pretio ad rogantes mittetur. Venales autem prostant omnes nostrae publicationes in sequentibus sedibus, ubique sub ipsomet nostro nomine: ROMA, via Santa Chiara,

20-21 — PARIS, rue St-Sulpice, 30 — LILLE, rue du Metz, 41 — LYON, rue Victor Hugo, 5 — BRUXELLES, rue de la Montagne, 52 — GAND, rue aux Vaches, 16 — ANVERS, Kipdorp, 22 — TOURNAI, Avenue de Maire

ET APUD OMNES BIBLIOPOLAS.

¶ OMNIA CATHOLICARUM EPHEMERIDUM SUBNOTATIO PER NOS FIERI POTEST ¶